

ritum S. Ipsi dederat. c. 4. v. 2, 8. Ibidem porro v. 15. quæ de Resurrectione profert, ea se dictare ait ex inspiratione divina, *ὡς λόγος κυρίου*. Ne dicam quod Epistola hæc, una sit ex iis quas D. Petrus peculiari Elogio ac Testimonio suo comprobavit. Quæ enim in hac de Christi adventu dicta sunt, Eum mortuos secum ducturum, eoque tempore quo mortuos resuscitat, etiam vivos qui reliqui fuerint, rapturum in coelos; ea certe illa ipsa *δυσνόητα* sunt, quæ quosdam minus stabiles perperam interpretatos fuisse ait Petrus, in suum ipsorum Exitum<sup>a</sup>. Resurrectionis enim, ac futuri præmii spem omnem abjecerunt, eo quod ista statim in eorum diebus non contigerint; adeoque facile se abripi passi sunt in *ἀπίσταντες ἀπωλείας*, uti ex Cap. 2. v. 1. discimus. Imo vero Petrus adeo aperte ad hanc imprimis Epistolam oculos intendebat, ut eodem fere modo suam istam finiat & concludat, quo hanc frater Paulus, imo & eadem Phrasî subitanæ Domini adventum indicet, qua Apostolus hic noster<sup>b</sup>. Uterque dicit, diem Domini venturum *sicut furem in nocte*.

<sup>6</sup> Ep. II. ad Theff. *Corinthi*, ubi Epistola hæc ad Theff. scripta erat, moratus est D. Paulus annum unum & sex menses<sup>c</sup>. Ibi autem paulo post scriptionem istius Epistolæ, audito Eos malis ob religionem toleratis plurimum pressos, ac de mente, seu fide quam acceperant, tantum non motos fuisse per falsas quorundam Suggestiones, qui ex Apostoli Sermone aliquo, Epistola ve jam dicta, perperam intellectis, aut etiam ex alterius cuiuspiam Spiritus, seu Doctoris, auctoritate, diei Domini instantaneum adventum prædicassent, unde summum, quod jam statim haud advenerit, *δοκίμασις* erat periculum: hoc, inquam, audito, festinabat Apostolus secundis Literis priorum sententiam explicare. Se scilicet cum de subitaneo istius diei adventu locutus fuisset, seu etiam scripserat, nequam ita intelligendum esse, ac si adveverat, diem illum jam *ὄπισθεν* dixisse se enim Ipsi coram, non adventurum diem istum, prius quam præcesserit aperta quædam, ac visibilis à fide defectio. id quod ipsis jam in memoriam revocat in Epistola hac posteriori. Præter *δοκίμασις* autem istam, se dixisse iis, ante diem hunc revelatum iri *hominem Peccati*, sive Antichristum; neque vero adhuc revelari Ipsum potuisse propter certum quoddam *κατῆχον* quod cum notint Ipsi, non esse quod iis illud diserte, & expresso nomine significaret<sup>d</sup>.

<sup>7</sup> Epistolam hanc quod ulterius attinet, Prioris certe auctoritas, quanta quanta, redundat in hanc Posteriores. Eiusdem auctoris est, cujus altera illa, Pauli Apostoli. In ea porro mentio fit Traditionum, quas ab Eo edocti erant partim Sermone, partim Epistola sua priori<sup>e</sup>; quas fuisse revera ait *λόγος θεοῦ*. Sed & de monitis loquitur, datis Eis *ἐν κυρίῳ*. Cap. 3. v. 12. Ne quis autem circa ipsius Epistolæ *γνησιότητα* Scrupulus suboriretur, clausulam Salutatoriam, sive Coronidem ejus, propria manu se scripsisse ait, *σημεῖον* in omni ejus Epistola certo & authentico, quo à spuris, si quæ forte sub nomine ejus prodierint, distinguerentur. Tractat & hæc Epistola, pariter ac illa altera, *δυσνόητα*, quorum occurrit apud Petram mentio; eodemque, quo illa, scripta est anno, & loco.

<sup>8</sup> Epist. ad Corinth. Relicta demum *Corintho*, visitatisque postea *Syria, Epheso, Cesarea, Hierosolymis, Antiochia, Phrygia*, aliisque minoris Asiæ locis *ἀνωκεῖς*, ac denuo *Epheso*, D. Paulus, dum isthic universi biennii & trium mensium moram faceret, accepta, ut videtur, fama de Corinthiorum luxu & corruptis moribus, aliquid otii jam nactus, scripsit Epistolam, in qua Eos ad puritatem & vitæ sanctimoniam adhortatus est. Hanc indigitare videtur Apostolus 1 Cor. 5. 9. *ἔγραψα ὑμῖν ὡς ἐπὶ ἐπιτολῇ μὴ συνανασκεῖσθε τοῖς πόρνοις* (confer v. 11.) *ὡς ἐπὶ ἐπιτολῇ* &c. Ex hoc satis manifeste liquet Epistolam illam aliam fuisse ab hac jam ad illos missa. In ea vero, quod hic innuit, ad omnimodam puritatem, ac vitandum speciatim commercium cum fornicariis hortatus indefinite & in genere, Corinthios, qui verba ejus nimis laxè capiebant, ad id adduxerat, ut se jam sub Christo, ab omni etiam cum Ethnicis fornicatoribus conversatione exclusos putarent, non sine magno in rebus quotidianæ vitæ gerendis incommodo. Ad eximendum eorum animis hunc errorem, inter alios, ostendit Apostolus in Epistola hac secunda, Præceptum

de vitando commercio cum hominibus impuris, spectare tantum ad fornicarios fratres Christianos, non item *τοὺς ἕτεροι*. Epistola illa (quam anno aera vulg. 56. scriptam puto) nescio quo casu intercidit. Verum ipsius jacturam abunde reparavit scripta mox altera ad ipsos Epistola, in qua fufius ad vitæ sanctitatem Eos adhortatur.

Cum Paulus forte biennium egisset apud Ephesios, venerunt ad eum à Corinthiis *Apollos, Stephanas, Fortunatus & Achaicus*<sup>f</sup>; ac detulerunt secum Epistolam ab Ecclesia Corinthiaca, in qua Apostoli mentem exquirebant de Commercio cum Scortatoribus, (id enim videtur, uti prius notavimus) Nuptiis, Idolothytis, mulierum moribus in Ecclesia, natura & usu Spiritualium Charismatum, ac denique resurrectione mortuorum; nam & de hac dubitabant nonnulli propter adventus Domini tarditatem, quam ipsis continuo objecerat Pseud-Apostoli. Illis cum de rebus hæc consulentibus responderet D. Paulus in hac Epistola. Conscriptam autem eam fuisse manifestum est ante quam Paulus ascendisset Hierosolymam, ex Epistolæ hujus Cap. 16. v. 3, 4. & ante inceptum ejus iter in Macedoniam; ibid. v. 5. at vero post ipsius *δυσκολομαχίαν* apud Ephesios; hujus siquidem mentio fit, Cap. 15. hujus Epistolæ. Quando igitur? haud diu sane antequam ex Asia abiret, anno aera Vulg. LVII. & quidem aliquanto ante istius anni festum Paschale. ad illud enim manifeste alluditur, Cap. 5. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitia & nequitie, sed in Azymis sinceritatis & veritatis*. De loco ubi exarata hæc Epistola fuerit, ita censeo. Apostolus Cap. ult. hujus Epist. Ephesi se permansurum dicit usque ad Pentecosten, ob apertam sibi *θύραν μεγάλην*, ac multitudinem veritati adversantium. Hinc factum, ut jam non in urbe Epheso modo, sed & in Asiæ locis ipsi finitimis verbum frequenter prædicaverit; & occasione turbarum Ephesi contra se excitatarum, ac propter insidias Judæorum, in loca vicina privata subinde contulerit; ita tamen, ut redierit denuo Ephesum, & per magnam temporis partem in urbe ista egerit. In hoc ab urbe secessu, loco aliquo vicinæ regionis, prope Ephesum, scriptam omnino probabile est hanc Epistolam, anno quidem, ut & tempore anni, quo diximus. Quod si quis Ephesi exaratam contendat, eo quod Ephesi se permansurum dicat Apostolus ad Pentecosten usque, qua quidem in sententia nos olim fuimus, haud multum repugnarim: quanquam ita magis proprie dictum fuisset *ἀδὲ*, quam *ὡς ἐπίσημ*. Missa erat autem hæc Epistola per ipsos à quibus literas Corinthiorum accepit, Stephanam dico, & Fortunatum, & Achaicum; (Apollos enim manebat Ephesi cum Apostolo) quibus adjungere visum est Titum, una cum alio fratre. Titum enim Epheso missum esse ab Apostolo ad Corinthios, constat ex 2 Cor. 8. 16, 17. & 12. 18. Non autem missus erat ante scriptam priorem, quæ superstes est, Epistolam ad Corinthios; siquidem in ea mentio fit duntaxat Timothei ad ipsos missi; cui non alium præter Erastum adjunctum fuisse colligitur ex Act. 19. 22. Sed neque post editam ad Corinthios primam; quia hæc ab Apostolo data est paulo ante Pascha, (quod ostendimus) adeoque duos circiter menses ante quam Epheso abiisset, ubi se ad Pentecosten usque moraturum scribit, 1 Cor. 16. 8. Hoc autem ipso verno tempore Titum Epheso ad Corinthios abiisse aperte colligitur ex eo, quod Paulus Epheso veniens Troada, ibi jam expectaverit redeuntem à Corinthiis Titum. 2 Cor. 2. 12. Accedit, quod vix ac ne vix quidem proferri possit exemplum missæ ab Apostolo legationis, sine data simul Epistola. Quis autem fuerit alius ille frater, quem cum Tito misit, haud una sententia. Lucam subscriptio nominat, ut & Patres aliquot Latini. Græci Barnabam intelligunt: ego neutrum. quia Barnabas se à Paulo jam pridem in ingressu hujus itineris sejunxerat, Lucas autem Philippis nunc ageret, uti patet ex Act. 15. 39. & 16. 12. Silampotius (seu Silvanum) Paulus indigitasse videtur. Siquidem hunc Comitem itineris assumserat. Act. 15. 40. hujus etiam laus erat in Evangelio per omnes Ecclesias: quia non modo cum Paulo, sed etiam ante cum Petro Evangelium longe lateque prædicaverat; & in Apostolorum Decreto, seu Epistola, quæ per omnes Ecclesias mittebatur,

a 2 Pet. 3. 16. b 2 Pet. 3. 10. 1 Theff. 5. 2. c Act. 18. 11. d Cap. 2. v. 6. e Cap. 2. 15. collat. cum 1 Theff. 23. f 1 Cor. 16. 12, 17, 19. g 1 Cor. 16. 12.